PS. CLEMENS. RUFINUS
2. Viertel 12. Jh. Seite 48r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



innotesceret. ita respondit. Obsecro te Petre per illum dominum bonum qui in
te est. ut uincas malitiam que in me est. suscipe me ad penitentiam.
et habebis me adiutorem predicationis tue: Nunc enim uere rebus ip
sis didici quia dei ueri propheta es. et ideo secreta hominum solus atque archa
na agnoscis. Et Petrus ait. Uidetis fratres Symonem penitentiam que
rentem. paulo post uidebitis eum rursus ad infidelitatem suam reuerti.
Putans enim me prophetam esse pro eo quod publicaui mala eius que in secre
tis habebat. et in occultis. penitentiam se acturum promisit. Me autem
mentiri fas non est. neque enim ut infidelis hic saluetur. aut non saluetur.
ego fallere debeo. Testor enim celum et terram quia non prophetice dixi quae dixi.
uel que quantum possibile erat turbis audientibus indicaui. sed a qui
busdam qui tunc ei fuerant socii in operibus suis. nunc autem conuersi sunt
ad fidem nostram. quid ei in secreto gestum sit didici. cognita ego non pre
cognita locutus sum. Symon uero ut hec audiuit maledictis his et
conuitiis adgreditur Petrum dicens. O infandissime omnium et dolo
sissime. cui uictoriam fortuna non ueritas dedit. Verum ego non prope
nuria scientie penitentiam petii. sed ut tu putans me per penitentiam
discipulum tuum fore omnia secreta professionis tue concrederes mihi.
ut ita demum te cunctis agnitis confutarem. Sed ut callidus intellexis
ti quam ob causam penitudinem simulassem. et adquieuisti tanquam
meum non intellegens dolum. ut prius me apud populum exponeres. quasi
in peritum. Tum deinde id prouidens quod ego ita populo expositus neces
se habeo indignari. et confiteri me non uere penitudinem gerere:
prouenisti ut diceres me ad infidelitatem meam post penitentiam re
gressurum. ut omni ex parte uicisse uidereris. et si permanerem in peni
tentia quam professus fueram. et si non permanerem. ut tu sapiens credereris
qui ista prouideris. Ego autem deceptus uideor: quia tuum non prouidi dolum.
tu uero meum prouidens calliditate usus circumscripsisti me. sed ut dixi
fortune est non ueritatis ista uictoria. Scio tamen cur ego ista non prouide